

--- -- -- *Juniperi mora misuta*
 --- *que sunt thui stacte costuque misellis.*
 Describimus *Juniperum* præmissis
 præmittendis sequentibus.

Juniperi
Descriptio.

Juniperus est planta nonnunquam
 altius surgens aque radice truncum
 crassum & lignosum fundens, nonnun-
 quam humi repens, cortice membrana-
 ceo sponteque scissili prædita, perpetuo
 virens, foliis angustis, acutis & spinosis
 prædita, baccas partim nigras & virides,
 partim cœruleas imò & rufescentes, mo-
 dò majores, modò minores, ferens, cui
 interdum fungus musci instar adnasci-
 tur & ex illa quandoque liquor gummo-
 sus, Vernix dictus, exfudat, ad usum &
 commodum generis humani à Summo
 Creatore creata.

CAPUT II.

DESCRIPTIONEM REALEM TRADITAM EXPLICAT.

Descripsimus *Juniperum* quòd planta
 sit altius surgens, omnis enim arbor,
 frutex, quibus etiam à nonnullis suffru-
 tex additur, talis planta est teste *Sper-
 tingio lib. 7. Institut. Phys. cap. 7. p. 1042.*

Addidimus in descriptione, quòd
 nonnunquam à radice truncum cras-
 sum & lignosum fundat nonnunquam
 verò

verò humi repat ob differentiam *Juni-
perorum*, quarum alia Major, alia Minor
est, sicut ex differentia consideratione
patebit clarius.

Perpetuò viret *Janiperus*, foliisque
angustis & acutis est prædita & sic ad
classem arborum angustifoliarum, quæ
nullis foliorum defluviis sunt obnoxia,
pertinet. Cur autem arbores angusti-
foliæ foliis suis tempore hyberno non
orbentur hanc tradere solent rationem
Physici: Quòd nempe omnis arbor an-
gustifolia humorem, à quo folia nutri-
tionem accipiunt, possideant pingvem
& calidum, quem frigoris vis non læde-
re possit quique tempore hyemis ad ra-
dices non confugiat, ideoque cum folia
nectare hoc non orbentur nullamque
nutritionis patiantur inopiam, in flore &
vigore suo semper permanent. Quòd
autem *Juniperus* tali gaudeat humore
probatione vix opus est, quoniam ille
gummatis seu resinæ instar abundè ex-
sudare videatur adque singulares usus
colligatur & asservetur, quò de paulò
post plura docebimus.

*Causa vi-
goris Ju-
niperi per-
petui.*

Cortex Juniperum ambit & com-
plectitur membranofus, sæpius disrum-
pens, qui circa radicem à trunco separa-
tur & hæc in parte corticem vitis æmu-
latur.

*Cortex Ju-
niperi.*

Bacca Juniperi.

Baccas ferre *Juniperum* diximus, ut elucescat, quòd planta sit frugifera, quæ ratione coloris variant, cum nonnullæ sint virides, quæ immaturæ, nonnullæ nigræ, cœruleæ vel rufæ, quæ maturæ, inveniuntur tamen & *Juniperi* nullis planè fructibus idoneæ. Bacca hæc secundò quoque annò maturefcunt, hocque præ omnibus ferè arboribus singulare habet *Juniperus*, quòd foetus suos in biennium proroget, quodque semper fructibus sit gravida, nulloque partu, ut ita loqui liceat, ab onere suo liberetur ut malus aurantia, citria. Bacca enim maturæ licet stirpem suam libentes deferant, attamen semper immaturæ adfunt, quæ absque singulari vi ab illa separari non possunt. Hoc locò & notanda venit *Juniperi* Botrys seu racemus, magnitudine & figurâ vitigineo racemo respondens, ex quamplurimis baccis densissimè cohærentibus constans, qui Bambergâ Libavio missus est. Sic natura quandoque ludit, *vid. Cist. Med. Hom. p. 84.*

Fungus Juniperi.

Fungus *Junipero* quandoque adnascitur & quidem præprimis mense Majo, colore luteo illique musci instar adhæret: Quomodo autem Fungus hic generetur eleganter *Nobilissimus D. D. Martinus Bernhard de Berniz fasciculo 2. medi-*

2. medicamentorum secretiorum Cnöffelianor. titul. 25. p. 184. in appendice ad annum VI. & VII. Ephemerid. Medic. Physic. natur. Curios. German. ex ipsius D. D. Cnöffelii MS. sequentibus proponit, dum Gelatina, inquit. sive Glucen Juniperinum (teste experientiâ rusticorum in Styriâ) nunquam totô annô magis reperitur, quàm mense Majo, in primis horam unam aut duas post imbres nimbosve, ubi circa nodos seu juncturas stolonum annuorû Juniperi instar candidæ interdum & flavescens gelatinæ ex internodiis exudat, quemadmodum synovia ex articulis hominis ibique concreta adhærescit, non tamen ita firmiter quin vento vehementiori concussa decidat, aut à Solis radiis liquata defluat, quod hisce vidi oculis. Quod si contingat, ut gelatinam hanc nec venti, nec imbres nec Solis radii lædant, in fungos concedit, qui vitro inclusi Solique expositi in limpidum liquorem resolvuntur. Vires hujus liquoris modumque utendi subjungit de quibus autem infra pluribus agendi erit occasio.

Quemadmodum plantis non modo sua caro est, nervus, os, vena & suus veluti sanguis & humor in singulas plantæ cujusque partes alendas destinatus, sic quibusdam perinde ac mulieribus &

B 4

sua

Gummi
Juniperi

fua sunt velut menstrua, quæ certis temporum circuitibus superveniunt: Videmus enim variis ex plantis varios provenire liquores quantitate ipsis molestos; Sicut enim sanguis animantium urget ac turget, sic è plantis humor seu succus, cui seu sponte, seu arte detur exitus, sæpè ad ipsarum levamen & incolumitatem profluit. Talis humor è nostra quoque profluere solet *Junipero*, pingvis & gummosus variis nominibus insignitus. Dicitur Latinis communiter *Vernix* & *Vernilago*, ab anni tempestate quasi *Veris Ros* teste *Bauhino lib. 12. Theatr. Botan. sect. VI. p. 500.* Aliis audit *Gummi Juniperi* & *Plinio lib. 12. c. 11. Juniperum Gummi*, *Serapioni Sandarax*, *Aliis Sandaracha Arabum*, *Lachryma Juniperi*, *Vernix sicca*, Germanis *Wacholder Gummi* seu *Trockener Stern*. Describitur à *Bauhino* quòd *Vernix* sit resina majoris *Juniperi* arida, dura, flava & mastichi similis, & *Ruellius lib. 1. de natur. stirp. cap. 90. pag. 179.* *Vernicem* appellat liquorem thuris odorem & colorem æmulantem. Aliam breviorè & huic ferè similem descriptionem tradit anonymus quidam de *Naturæ Mirandis in China & Europa p. 895. inquit*: *Juniperus*, frutex spinosus, emittit mense Majo pulverem flavum, quem florem licuerit credere, succedunt

Ejus no-
men.

cedunt bacculæ virides per ramos inter aculeos, quibus frutex undiquaque armatur, virides, breviusculos, qualia sunt libanotidis folia ferè. Nigrescunt granula usque ad autumnum, & ubi maturuerint dulcem acorem præbent. Ex lapidoso semine alii succrescunt frutices. Bacca alia majores, alia oblonga, alia profus acidæ. Resinam fundit primò vere læsus odoratam, thus dixeris barbarum. Cortex in cinerem redactus mundat lepram illitus; Radix serpit in multos ramos & conclavi illata spirat odorem gratissimum, qui ex foculo salubrior est, trunci non eadem virtus: Bacca viridis & odorem & medicamentum præbet, sed maturæ magnus usus, omni pipere præferendæ, unde conficitur oleum, quod cum Balsamo Palæstino contendit; Quin & lignum est oleaginosum. Hactenus ille.

CAP. III.

DE DIFFERENTIIS JUNIPERIE
JUSQUE PARTIBUS
AGIT.

Differentiæ inter Juniperos dantur Differentiam plurima, possunt tamen communi Juniperi modo ad tres referri classes, ita ut Juniperi inter se differant 1. ratione appellationis,